

*Roma signis
statuisque a
Graecia im-
portatis orna-
tur.*

Secundum; inferri id unum liceat artes, ob causas, quas supra memoravi, non secus ac litteras Romae multos annos iacuisse. Hinc evenit ut, postquam eripiendorum a civitatibus, quae armis subactae fuerant, artis operum licentia data est, L. Aemilius Paulus, qui ad Pydnam Perseum, Philippi filium, superaverat, cum triumphans Romam insigni curru inveheretur, vehicula post se CCL pulcherrimis signis, tabulis pictis, vasis abacisque aureis, scaphiis, mensis argenteis citreisque, rebus aliis conferta, una cum Perseo rege trahi a militibus iuberet. Idem in suis quisque triumphis fecerunt et L. Memmius ille qui, Corintho spoliata, non Urbem tantum, sed totam fere Italiam ornamentis statuarum locupletavit, et Cornelius Sulla qui, cum multa alia asportavisset, ex Iovis Olympii aede columnas marmoreas abstulit, quibus Iovis Capitolini templum, quod aedificaverat, magnificentissime exornaret.

*Sapientes et
poetae ex
Graecis urbi-
bus Romam
veniunt*

VII. Postquam Graecia a Romanorum exercitibus occupata est, sapientes nonnulli et poetae inde Romam venerunt. Cum exercitibus, qui Tarentum expugnaverant, Andronicus venit, quem postea Livius Salinator, de praeda emptum, sine pretio, admiratione tantum captus, quod eum litteris atque Graecorum disciplinis eruditum invenisset, quodque filios suos instituisset, manu liberaliter misit. Cum Catone, qui eum in Sardinia stipendia in Romanorum exercitibus facientem noverat, Ennius anno post conditam Urbem quingentesimo quinquagesimo venit; qui quidem Rudiis, in Graecorum colonia, natus erat. Nonnulli alii ab Achaia cum L. Aemilio Paulo venerunt, nam hic cum quolibet manubiarum et praedarum genere, quas Romam deportaverat, mille nobili loco natos adolescentes, in quibus Polybium, qui postea res gestas Romanorum narravit, et Metrodorum Scepsium philosophum et pictorem, pacis obsides secum afferri iussit retinuitque XXII annos. Post id tempus vero, cum frequentiora facta essent Romanorum et Graecorum commercia, philosophi, rhetores, grammatici, eruditi innumerabiles venerunt, qui incredibile

est quantum, sive pueros in scholis disciplinas edocendo, sive cum civibus de doctrinis omnibus disputando, ad studia litterarum augenda alendasque artes exemplo contulerint. Testes sunt Diophanes Mytilenaeus rhetor, Bossus Cumaeus, philosophus stoicus, quorum uterque Gracchos fratres illos duos eloquentia omnique sapientia erudivit. Testes etiam Crates Mallotes, qui grammaticam scite docebat, philosophique illi tres, Carneades academicus, Critolaus peripateticus, Diogenes stoicus, qui cum ab Atheniensibus de remittendis a senatu quingentis talentis essent Romam missi, quibus multati fuerant, exspectarentque quid de postulatis decerneret senatus, publice disputantes non iuvenes modo, sed peritissimos quoque civilibus artibus viros ad totius sapientiae studium inflammaverunt. At Cato unus, qui in novas usque res acri ingenio fuerat, ratus iuvenes illis disciplinis prohibendos esse quae eos a re militari, a maiorum usu atque ratione, a veteribus institutis et legibus distinerent, pro virili parte id unum contendit, ut quam citissime de ea re a senatu decerneretur dimitterenturque in suam civitatem eruditissimi illi, quos ita pro iustitia dicentes audierat, ut nemo non assentiretur, eosdemque rursus ita, quae prius dixerant, impugnantes, ut omnes sententiam mutarent. Conditae deinde leges sunt in rhetores et philosophos, qui Romae pueros edocendi causa versabantur, ac si mores corrumperent. Nequicquam vero! etenim cum quid in Graecorum doctrinis inesset veri, quidque falsi, pro suo ingenio iam Romani internovissent, suffragantibus utroque Scipione, M. Fulvio Nobiliore, aliis, qui id temporis in republica laudibus et meritis maxime florebant, ius suum apud omnes cives artes obtinuerunt factumque denique est ut magni haberentur qui notitiam aliquam litterarum Graecarum atque artium tenerent, ii autem, qui earum cognitione ceteris praestarent, sapientes doctique usurparentur. Post paucos annos vero Musis, quae pinnato gradu se in Romuli gentem feram intulerant, templum dicatum est quasi poetarum domicilium.

*Nequicquam
Cato patriam
disciplinam
defendit.*

LIVIVS ANDRONICUS

VIII. Cum iam apud Graecos litterae, quas multi et clarissimi poetae, oratores, rerum scriptores, sapientes homines in aeternitatem immortalitatemque mirifice illustraverant, in eruditionem delapsae, primo dissipari, post autem in alias terrarum gentes diffluere coepissent, tunc Livius Andronicus, qui litterarum Latinarum quasi conditor habetur, primus omnium poetarum in Urbe, C. Claudio, Caeci filio, et M. Tuditano coss., fabulam scaenicam a Graecia, quae Maior dicebatur, importatam docuit anno post Romam conditam quingentesimo decimo quarto. Natione eum Graecum fuisse nomen ipsum declarat: « ἀνδρονικός » enim, ut patet, Graeca dictio est. Tarenti, in florentissima opulentissimaque Italiae urbe, natus esse videtur, siquidem ille in istius urbis oppugnatione, ut Accius poeta nos apud Ciceronem docet, a Q. Maximo quintum consule captus est. Cum itaque Romam, una cum ceteris captivis sub corona vendendus venisset, de praeda eum Livius Salinator emit, qui ei, quod litteris eruditum novisset, liberos suos instituendos commisit. Propter diligentiam multam et industriam, quam in honestissimo munere fungendo adhibuit, tantam sibi patroni gratiam comparavit, ut mox libertate donatus sit, acceperitque, pro meritis ei conlatis, Livium nomen.

*Cic. Brut. 18;
I Tusc. 1.*

*Hieron.
Chron. ad
ann. Urb.
cond. 567.*

IX. In usum utilitatemque adolescentium, quos privatim primo, post autem libertatem acceptam etiam publice litteras docebat, adhibitis rudibus Italorum numeris, qui *Saturnii* dicuntur, Homeri Odysseam Latine vertere ausus est. Huius epici carminis, in Romanis litteris vetustissimi, exstant nunc quoque versus ad quadraginta in libris grammaticorum relati; quos si cum Homericis contuleris, non modo longe illis inferiores deterioresque dixeris, sed rudiores in se atque impolitiores nimio satius inveneris. Iam ex

*Odyssea ver-
sibus satur-
nis latine
reddita.*

istis versibus qui supersunt, tantam fuisse suspicari licet inter eos dissimilitudinem, quanta, ut Ciceronis verbis utar, inter aliquod opus Daedali est, qui figurarum exprimendarum artem invenit, et Myronis, qui ad perfectionem eandem promovit. Daedalus enim signorum fingendorum artem eo tantum provexerat, ut a corpore pedes et brachia seiungeret utique, vix tamen ad quendam quasi motum impelleret. Ceterum etiam si voluisset Livius, ob litterarum nascentium conditionem, nihil quod esset perfectius perpolitiusque efficere potuisset. Etenim sermone admodum incondito rudique utebatur, qui natura sua ad verum dicendum magis conformatus erat, quam aptior, tum ad repraesentandas imagines, quae mentis celeritate finguntur, tum ad varias perturbationes animorum describendas. Utebatur genere illo versuum Saturniorum, cuius « ῥοθμός » non in brevitate syllabarum et longitudine, quarum alterae alteris certo ordine succedant, situs est, sed ex alternis vocis impressionibus et immutationibus conficitur, quae accentus a Quintiliano nuncupantur. His de causis maxime factum est ut nec ad numerosam versuum Graecorum conclusionem accederet, nec verborum sententiarumque granditatem redderet. Nihilominus aequalibus, ad quorum aures primus fabulas illas mirificas cecinit, adeo placuit ut carmen, quod verterat, multos annos in scholis ad aetatem Horatii legeretur, atque etiam notis explanaretur.

Cic. Bru. 18.

*Horat. II.
Epist. 1. ver.
69 et seg.*

X. Fabulam, comicam an tragicam incertum, Livius ad morem et consuetudinem Tarentinorum, qui theatro utebantur frequentatissimo, in ludis Romanis, qui anno quingentesimo decimo quarto Urbis celebrati sunt, maximo Romanorum plausu atque concursu, primus omnium docuit, posteaque multas alias, quas item et in saturnios numeros ex Graecis reddidit, atque ut eius temporis mos erat, in scaenis ipse una cum ceteris histrionibus egit.

Fabulae scaenicae.

Nonnulla nomina istarum fabularum novimus, quae indicant fabulas ab iis auctoribus praesertim esse desumptas,

qui in vicibus Troiae excidioque celebrandis praesertim versati erant; inter quae sunt « Achilles » « Aiax » « Aegisthus » « Equos Troianus » « Hermione »; alia vero nomina « Andromeda » « Danae » « Ino » « Tereus » res eas poetam pluris fecisse arguunt quae, immanitate eventuum atque atrocitate, sensus quam maxime movere possent. Comoedias quoque, ut vulgariori plebis ingenio indulgeret, ex Graecis convertit. Earum, quarum nomina novimus, altera « Gladiolus » altera « Circulator » inscribatur. In hac, ut mihi videtur, genus illud hominum circumforaneorum carpebat, qui congregata multitudine, in foro vel per vicos varia et mirifica medicamenta proponunt plebemque iocis, cantu, saltationibus, aliis huiusmodi ludicris detentam oblectant. In illa autem, quantum ex nomine ipso atque etiam ex versu, qui exstat, nobis colligere licet, miles quidam vaniloquus et gloriosus ridebatur.

XI. Anno post conditam Urbem quadringentesimo quadragesimo septimo, dum Hannibal Italiam vastat, condidit lyricum carmen in Iunonem, quod, cum ter novenis virginibus albam vestem indutis canendum esset, « Parthenium » appellatum est. Qua autem de causa supplicationes factae sint, utrum scilicet deorum placandorum causa, quod signa et prodigia Urbi nefasta evenissent, ut Livius scriptum reliquit, an potius ut iisdem gratiae referrentur, ut apud Festum narratum invenio, quod exercitus Hasdrubalem ad Metaurum necavissent, non satis certo constat. Constat tamen populum universum, quod valde fabulis carminibusque delectatus erat, cunctos poetas, qui florere coeperant, collegii iure donavisse iisdemque aedem Minervae in Capitolio assignavisse, in quibus poetarum sacra peculiari ritu celebrarentur. Livium Andronicum, habita temporum ratione, poetam bonum dixerim et rudibus Romanorum ad id tempus ingeniis laudabilem neque inconditum. Propter hoc maxima laude mihi dignus videtur quod, cum Latina lingua omnibus verborum luminibus, quae a poetis expetuntur, esset penitus destituta, et longum poema et artis plenum vertere ausus

Parthenium,

*Liv. XXVII.
ab. Urb. cond.*

37.

est, eamque asperitatibus abundantem, ad mollitiem quandam inflexit, qua quidquid in clarissimo Graeco poeta inerat, vel ad verbum fere reddidit, vel aliquomodo ad quandam aurium mensuram versibus significavit.

CN. NAEVIUS

XII. Cn. Naevius, natione Latinus, animo ingenioque Romanus, in oppido Campaniae natus est, quod ignoramus. Stipendia in exercitibus Romanorum merens, bello Punico primo interfuit. Militia functus, se Romam contulit, ibique Livio Andronico magistro usus, litteris ediscendis impense se tradidit. Multa itaque innovandi quae voluisset variandique, poetarum more, sibi facultate relicta, tragicas primo atque comicas fabulas ex Graeca lingua in Latinam transtulit, nonnullas dein ex rebus Romanorum composuit. Qua erat acri mordacique indole, Atticae comoediae, quam veterem appellamus, aemulari scriptores contendit, nihilque insolentiam veritus eorum, qui summa auctoritate apud Romanos valebant, quam asperrimis verbis usque eo eos incessere increpareque coepit, ut in vincula coniceretur. Quibus non ita prius tribunicia popularique rogatione liberatus est, quam damna, quae in prioribus comoediis inessent, laudibus, quae in novis continerentur, sarciret. At cum acre ingenium ad alia devertere non valuisset, in Metellos quoque petulantius versum coniecit :

Gell. VI.
Noct. Att. 8;
III. 15.

Fato Metelli Romai fiunt consules

cui rursus Metellos inuria lacessitos :

Dabunt malum Metelli Naevio poetae

respondisse traditum est, ut significarent nimirum se nullo modo esse passuros, poetam dignitatem ipsorum familiaeque amplitudinem carpere vel etiam arrogantius vellicare.

Ob invidiam quam sibi pepererat, paulo post, vel cum poema de bello Punico primo etiam conficiebat, vel vixdum perfecerat, nulla senescentis aetatis benefactorumque in patriam habita memoria, exilii perpetui poena multatus est. Uticam actus, quingentesimo quinquagesimo quinto anno ab Urbe condita vita decessit. Carmen refertur, quod in sepulcro sibi iussit inscribi :

*Hieron.
Chron. ad
ann. Urb.
cond. 567.*

*Mortales immortales flere si foret fas,
Flerent divae Camenae Naevium poetam.
Itaque postquam est Orcino traditus thesauro
Oblitei Romai loquier sunt latina lingua.*

XIII. Post militiam igitur in tria ille carminum genera se maxime contulit, tragicum, comicum, epicum. Traduntur a scriptoribus septem tituli fabularum tragicarum Naevii, inter quos sunt « *Danae* » « *Equos Troianus* » « *Hector proficiens* » alii nonnulli, qui res ex fontibus Graecis deprompsisse declarant. Attamen a Graecorum imitatione digressus, res patrias primus in scaenas agere instituit. Ex his duae fabulae memorantur, quarum altera « *Romulus* » altera autem « *Clastidium* » inscribatur. Quantum nobis coniectura arguere licet, in illa Romulum primo puerulum, Lupae domi morantem, postea cum pastoribus quasi fatorum conscium multa animo molientem, denique Urbem una cum fratre condentem de eiusque nomine disputantem faciebat, quoad iratus eum necabat. In fabula autem altera, quae *Clastidium* inscribatur, hinc illinc spectantibus mirantibusque Romanorum atque Insubrium exercitibus, M. Claudium Marcellum cum Viridumaro rege acriter in castris deproeliantem in Urbemque tandem regis spoliis onustum triumphante mque inducebat. Hanc ob causam igitur, quod primus res Romanas in scaenis edidit, optimo iure eum fabularum illarum conditoris titulo donamus, quae ex vestibis Romanis, quibus

*Fabulae tra-
gicae*

*Horat. ad Pi-
son. vers. 285
et segg.*

histriones fabularum induebantur, inde ab antiquitate illa « *praetextatae* » vel « *praetextae* » dicuntur.

Maior, qua erat indole et natura, in fabulis comicis fuit, quarum triginta nomina ad nos pervenerunt, inter quae « *Agitatoria* » « *Gymnasticus* » « *Tarentilla* » in primis referuntur. Ex his fragmenta aliqua tantum exstant, in quorum primo quid ipse de libertate divitiis pluris facienda sentiat, praeclare eloquitur; in secundo vero valde miratur, quod ingens Cupidinis vis in parvo corpore adolescentis cuiusdam insideat; in tertio denique venustulam volubilemque puellam mordet, quae « *alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet* ». In fabulis contexendis contaminatione primus usus est, qua nempe altera in alteris fabulis sparsa ita simul composuit, ut unam saepe ex duabus vel ex tribus conficeret.

*Fabulae co-
micas*

XIV. Livii quoque Andronici vestigia secutus, patrium poema, quod « *Bellum Punicum* » inscribebatur primus, verbis saturniis quoque, quam scitissime potuit, adhibitis, componere adgressus est. Memorabile id quidem meritoque laudatum! Cum enim dirus Hannibal Numidicis equis exercitibusque Italiam urgeret, minitareturque extremam Urbi cladem, poeta iam admodum senex ex veteribus fabulis, quae in ore omnium atque sermone erant, pulcherrimum poema ementitus, una rerum in Carthaginienses antea gestarum recordatione animos civium cladibus caedibusque prostratos levavit atque incredibiliter erexit. Nimirum fuit suus Romanis quoque poeta in rebus adversis, ut Spartiatis Tyrtaeus. Quid profecto in tantis rerum asperitatibus angustiisque fieri a poeta aut contentius aut elatius poterat, quam in desperantium memoria memorabile bellum illud revocare, quo, qui iam iam Romanos superaturi viderentur, terra marique a Romanis sescentis pugnis devicti, Sicilia Sardiniaque cedere coacti, foedam tandem pacem a senatu precati essent? Quid? Nonne una poetae canentis voce et virtute, fortuna in melius vertisse videtur, siquidem milites Romani in spem erecti,

*Bellum Puni-
cum*

*Cic. de Senect.
14.*

egregia pugna ad Zamam, duce Scipione, Poenum ad id tempus invictum profligaverunt?

In poemate conficiendo, quo acrius Romanorum in Carthaginienses odium concitaret, pervulgatissimis illis fabulis usus est, quae de Didonis amore et funere, Aeneae in Latium adventu, de origine Urbis narrabantur, quapropter multis eum de causis Virgilii non aetate tantum et poesis genere, sed re et materia ipsa, quam cecinit, praecursorem dicere non dubitaverim. Magno litterarum Latinarum detrimento Naevis poema de bello Punico intercidit; etenim, cum poetarum magnificentia non in concinnitate verborum tantum, neque in numeris atque modis versuum posita sit, sed in rerum granditate, quae divino mentis afflatu concinuntur, poema si exstaret, insigne et perantiquum carminis epici exemplar nobis exhiberet. Hanc igitur ob causam, cum pulchrum poema iudicaretur, non Ciceronis modo aetate sed Horatii quoque, cum iam Virgilius Aeneida fecerat, legi in communi grammaticorum usu erat et memoriae a pueris mandari.

M. ACCIUS PLAUTUS

XV. Egregiam in comoediis docendis laudem, quamvis parum litteris Graecis eruditus esset nullaue doctrinarum ratione instructus, ingenio tantum in cognitionem hominum atque usum adductus, hac eadem aetate Plautus sibi comparavit. Humili admodum loco Sarsinae, in Umbriae pago, ad annum quingentesimum post conditam Romam natus est. Quod nomen quodque praenomen ei fuerit, satis superque a doctis hominibus ad nostram memoriam disputatum est. At de hac subtilissima quaestione, quae ab Henrico Cocchia in prooemio ad Captivos pertractata est, hoc loco pauca dicemus. Nonnulli igitur auctoritate librorum fere omnium, qui scribarum manu antiquitus ex aliis transcripti, in bibliothecis

adhuc custodiuntur, poetam *Marcum Accium Plautum* appellatum esse censebant; alii contra contendebant *Titum Maccium Plautum* esse nuncupandum, quod in Mediolanensibus membranis iterum spongia abstersis, quae « παλίμψηστοι » dicuntur, verba haec scripta invenissent:

T. MACCI PLAUTI

CASINA EXPLICIT

Hanc opinionem acute Cocchia refellit, qui cum illud « *Macci* » quod in palimpsesto legitur, ex coniunctione « *M* » litterae praenomen indicantis cum nomine, a scriba indocto coagmentatum suspicatus esset, ceterorum codicum auctoritate usus, suum poetae, ut mihi videtur, verumque nomen restituit.

XVI. Ut primum igitur Plautus adolevit, ad institutum aliquod vitae capiendum Romam cum quodam histrionum grege venit, apud quem scaenae ministri munere aliquot annos functus, privato ex compendio parvum peculium sibi comparavit. At cum vindemiolas, quas reservaverat, in agendis marcaturis collocavisset, ratus fore ut brevi ex pauperrimo dives evaderet, ob suam rerum istarum imperitiam brevi tempore ad extremam inopiam recidit, quare, si necessitatibus consulere voluit, molas in pistrino versare debuit. In his paupertatis angustiis, recuperandarum pecuniarum voluntas ingenio natura acri stimulos adiecit, ut horis subsecivis, quibus ipsi otium erat, aliquot fabulas componeret: noverat autem fabularum condendarum artem eo tempore, quod apud histriones consumpserat. Cum ergo fabulas numerata pecunia vendendas conscribere coepisset, Misis faventibus, nonnihil lucri primo fecit, aucta deinde magis magisque in dies populi gratia, etiam id quod ad bene beateque vendendum opus est, in loculos, ut Horatii verbis utar, demisit. Romae poeta mortuus est LXX annos natus, cum iam multa

Gell. III.
Noct. Att. 3.

Cic. Brut. 15.
Gell. I. Noct.
Att. 24.

gratia atque honore apud populum universum valeret. Epitaphium hoc sibi composuisse traditum est:

*Postquam est mortem aptus Plautus, comoedia luget,
Scaena est deserta: dein risus, ludus iocusque
Et numeri innumeri simul omnes conlacrimarunt.*

*Fabularum
numerus*

XVII. Huic nostro poetae amplius CXXX fabulae a bonis rerum scriptoribus, qui post eius aetatem fuerunt, assignatae sunt; quarum XX tantum integrae exstant, quae hodie eius verae habentur; quibus addenda quoque «*Vidularia*» quae tota fere intercidit. Equidem vero Plautum, qua incredibili erat ingenii feracitate, ut ex fabulis, quae in manibus sunt, facile patet, multo plures fabulas docuisse censeo, quamquam verisimile est ab histrionibus, qui ludorum in dies novandorum necessitati serviunt, maiorem ei fabularum numerum quam revera scripsit, falso attributum fuisse; videlicet aliorum etiam cum fabulas agerent, Plauti nomine eas agebant, quo theatra mendacio decepta facilius clamores plausumque histrionibus darent. Liceat ergo mihi—quamquam video quam mihi partem assumpserim—ab Aelio Stilone et a Varro-
ne dissentire, quorum alter XXV fabulas Plauto, alter XXI tantum concedit. Fabularum illarum quae sunt, prologi nonnulli evanuerunt; de ceteris verine sint, an falsi, satis ambigitur. Ipsae autem fabulae corruptae multis locis videntur, vel quod interdum quibusdam partibus carent, vel quod versus translati-
cicii in iis reperiuntur. Saeculo illo, quo studia renovari coepta sunt, Hermolaus Barbarus, vir ut Latinis litteris ita ceteris quoque disciplinis eruditissimus, versibus suis lacunas explevit.

*Fabularum
genera*

XVIII. In libris manu scriptis XX Plauti fabulae ad literarum ordinem dispositae inveniuntur, ex quibus ego, si certa aequabilisque fieri possit omnium divisio et cuiusque in genus suum distributio, alias cum propter compositionem,

contextum, structuram, tum quoque propter incredibilitatem rerum novarum, quae inopinanter fiunt, movere risum spectantium unice dicam; alias propter personas suas, quae notis novis inusitatique insignes sunt, omnium hominum ingeniis illudere; nonnullas denique, quae utriusque generis laudes in se commiscent atque componunt, hominum vitam, quae reapse est, ad unguem expressam depingere.

Earum in genere, quod primum statui « *Amphitruo* » « *Asinaria* » « *Cistellaria* » « *Rudens* » « *Poenulus* » « *Stichus* » recensendae sunt fabulae, quae in uno rerum nexu consistunt. Et revera in Amphitruone, cum Iuppiter et Mercurius, amissa deorum maiestate, mortales Amphitruonis et Sosiae personas gerant in terris, rerum incredibilium, perturbationum, ambiguitatum causa sunt, quae maxime concitant risum. Itidem in *Asinaria* iuvenes quidam male morati, ut sibi pecuniae copiam ad libidines faciant, rerum nodum solvunt asellorum auxilio, quos vendunt. In iisdem fere rebus, quae, ne nuptiae fiant, graviter obstant, fabulae *Cistellaria* et *Rudens* positae sunt; in altera enim praestanti forma puella cuiusdam parvulae cistellae signo dignoscitur atque ab illecebris lenae turpissimae liberata, iuveni cuidam, quem amat, uxor collocatur. In altera vero, risco ex navi, quae naufragio perierat, rudentis ope educto, puella quaedam a puero dignoscitur, qui statim eam uxorem ducit. Rursus conveniunt inter se, diversissimis tamen rebus, et *Poenulus* et *Stichus*. Etenim *Poenulus* ille peregrinus, qui punice interdum loquitur, post multos errores ambagesque, reduces tandem domum facit filias duas, quas improbi homines surripuerant. Contra in fabula *Sticho* pater nequam, filias nuptas absentibus maritis, moechorum lenociniis indulgere patrio iure et potestate compellit.

*Fabulae
intextae*

XIX. Secundo, de quo sermo, fabularum generi ascribam « *Aululariam* » et « *Truculentum* » in primis, tum quoque « *Casinam* » « *Curculionem* » « *Epidicum* » « *Mercatorem* »

*Fabulae quae
singula mo-
rum exempla
exhibent*

« *Militem gloriosum* » « *Mostellariam* » « *Persam* » « *Pseudolum* » in quibus hominum mores singillatim per genera et per species depinguntur. In aliis enim istarum fabularum senes et puellae, in aliis iuvenes servique, suo cuiusque ingenio atque natura, primas partes agentes inducuntur, in aliis mulierculae, nebulones, parasiti fallaces materiam iocorum, rixarum, cachinnorum infinitam quasi praebent. En in scaenas sordidi senes cum errantibus gradibus, tum inexplebili pecuniarum aviditate, tum in amores proclivitate ridendi; en venustulae puellae, quae verba potius quam amores senibus donant; en iuvenes, qui amant, qui gaudent, qui rem familiarem amorum causa dissipant et perdunt; en meretrices, en lenae, quae pro datis amoribus pretia et munera ferunt; en parasitorum fauces servique nequissimi, qui ventri unice student, qui immodice comedunt, qui ridet atque surripiunt.

Atqui nec desunt in tanta perditissimorum hominum copia et varietate, qui et a vitiis abhorreant et virtutem sequantur, pauci inquam, ex quibus tamen colligere licet, etsi pro temporum indole atque ratione obscena plerumque et ludicra poeta noster secutus sit, probos homines et frugi non modo non sprevisse, immo vero haud raro vel interdum civibus imitandos proposuisse.

*Fabulae me-
diae inter ge-
nus utrumque*

XX. Sed ecce in manibus fabulae quae, non ex Plautinis modo omnium consensu pulcherrimae habentur, sed quae in primis ceterarum apud populos litterarum immortalis laude usque donatae sunt, « *Bacchides* » dico « *Captivos* » « *Menaechmos* » « *Trinummum* ». Mira in istis sunt cum rerum, quibus conficiuntur, contextus, tum personae, quae a natura ipsa in scaenas translatae atque in versibus facili arte ad verum insculptae videntur. In ore omnium versantur fabularum argumenta. Bacchides, meretriculae, ut sunt geminae ex eadem matre sorores, ut facie quoque, capillis, oris habitu et corporis haud tantillo dispaes, ita eadem naturae con-

gruentia et morum improbitate inter sese concordant. Ex hac, quam in se expletam similitudinem habent, maxima errorum series oritur, unde decipiuntur et ridentur, qui amant. Pari item ratione, qui iisdem parentibus orti sint, gemini fratres, Menaechmi similes inter se sunt, quorum alter insignem alterius, ab imis, ut aiunt, unguibus ad summum verticem, tanta tamque indiscreta similitudine, sive formae, figurae, vocis, sive gestuum ac corporis motuum, speciem et imaginem exprimit, ut miros perpetuo aspicientium errores excitet idemque infinitas ex improvise ridendi causas praebeat. Tertia istarum fabularum, quae Captivi inscribitur, in egregiis animi sensibus duobus tota consistit, in amore videlicet patris erga liberos duos, alterum puerulum surreptum, alterum iuvenem captivum; in fide probitateque cuiusdam servi, qui miram sui ipsius liberalitatem in alios ostendit: ille una liberorum recuperandorum spe motus, captivos undique commercari non desinit nullisque impensis parcit; hic servitatem aequo animo servit itaque agit, ut tandem pater filios, quos amiserat, ipsius opera inveniat. Quae autem Trinummi inscribitur exemplum exhibet amici. Probus enim homo quidam in ea, domum amici, qui abest, pecunia sua emit, quam venalem illius filius fecerat, itaque domum conditumque in ea thesaurum amico benevolentissime servat.

XXI. In fabulis suis contexendis Plautus, ut poetarum comicorum mos erat, rem totam in tres partes distribuit, hoc est in prologum, in quo fabulae argumentum continebatur, in canticum et in diverbium, quibus res peragebatur ad exitum. Prologum vel adulescens comicus, vel ipse gregis dominus, vel denique persona ex scaenis pronuntiabat, priusquam fabula ageretur; canticum vero vel una tantum persona, vel catervatim omnes, ad tibias vocem assonantes, proloquebantur; in diverbiis denique vel duae, vel tres, vel plures personae inter se colloquentes et agentes inducebantur. Omnes poetarum comicorum laudes in Plautinis fabulis

*Fabularum
partes*

*Imitatio
atque novitas
inventionis*

inveniuntur, prae ceteris vero quae eorum propria et maxima est, quaeque vis comica dicitur. Hinc enim sermones alterni incredibili verborum copia, iocorum, facetiarum referti, in quibus, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud cotidiani dissimile sermonis; hinc celeritas illa personarum, sive in rogando respondendoque, sive in veris dissimulandis simulandisque falsis, sive etiam in contendendo atque rixando; hinc etiam sales et mordacia dicta, festivitas iuvenum et puellarum, asperitas senum, ex quibus fabulae Plauti fiunt reapse et imitatio vitae consuetudinisque speculum atque veritatis imago. Atqui nec desunt qui valde poetae laudi officere censeant, quod saepius ex Menandri, Philemonis, Diphili fabulis, qui comoediam novam post Aristophanem condiderunt, res fabularum suarum deprompserit. Quid? Nonne apud alios etiam populos eadem ratione multos et maximos poetas ex poetis, qui superiores aetate fuerunt, multa sumpsisse videmus? Non tamen omnia a Graecis vel ad verbum transtulit, vel surripuit ex integro. Multo plura in Plauti fabulis mihi esse videntur, quae ipse pro suo ingenio suapte natura vel addidit, vel sustulit, vel etiam meliora fecit. Fabularum ipsarum saepe nodos nexusque ita novavit, ita partes immutavit, ut quoddam quasi a se inventum novumque et magis Romanorum moribus constans exprimerent atque effingerent. Hanc ob causam mihi Plauti fabulas perlegenti saepenumero fit ut, vel Romanos credam in aliqua Graecorum urbe versari, vel Graecos mores suos ad Romanorum mores Graeculas ipsarum personas conformasse.

Q. ENNIUS

*Cic. I. Tusc. I.
Brut. 18.*

XXII. Poetarum omnium, qui in amoena litterarum adulescentia, quam inquirimus atque indagamus, carminum epicorum laude florere, Q. Ennius a plerisque maximus facile habetur. Rudiis, in parvo Messapiorum oppido, quod

proxime a Tarento situm erat, nobili genere poeta natus est anno post Romam conditam quingentesimo decimo quinto. Adulescentulum eum a patre Tarentum missum esse censemus, ut Graecis ibi magistris traditus litteris omnibus ac disciplinis institueretur. Ita enim in urbe illa Graeca, quam quam quadraginta fere ante annis iam ea in dicionem Romanorum venerat, etiam tum, non secus ac prius, studia omnia vigeabant, ut neque in servitute intermitterentur, neque remitterentur omnino. Tarenti itaque, quod, sive propter commercatus et commercia, sive propter amplissimum portum infinitis navibus patentem, a Romanis frequentabatur, non linguam tantum Graecam a magistris didicit, sed usu cotidianorum sermonum cum Romanis Latine loqui coepit. Cum vero Tarentini naves, quibus abundabant, amicis sociisque Romanis misissent, qui, bello Punico primo peracto, Sardiniam occupabant, in auxiliariis copiis stipendia merens, centuriae Ennius praefuit. Rem aliquam insignem inter bellandum ab eo factam esse suspicamur, siquidem Catonis ad se animum ibidem militantis ita convertit, ut ab eo Romam, postquam insula occupata est, cum ipso venire iussus sit. Non minore Catonem laude dignum existimabat Cornelius, quod secum poetam in Urbem adduxisset, quam quod de Sardiensibus triumphavisset amplissime. Romae tamen, cum poetarum donis cumulandorum mos nondum invaluisset, ut cotidiano victui prospiceret, puerorum litteris Graecis publice erudiendorum munus ei fuit obeundum. Itaque, cum per discipulos apud universum populum percrebuisset fama quod versus funderet, in Scipionum gratiam primo, in amicitiam familiaritatemque M. Fulvii Nobilioris postea acceptus est.

Nep. Cat. 1.

XXIII. Quinquaginta fere annos natus, Nobiliorem exercitus in Aetoliam ducentem secutus est, atque in castris cum eo aliquot menses versatus, oppugnationi Ambraciae urbis pugnans interfuit, quam postea versibus celebravit. Cato ut probrum M. Nobiliori obiecit, quod poetam ineptum secum in

provinciam duxisset. Ratus enim est Censor id ea de causa egisse, ut res, quas se facturum sperabat, a poeta celebrarentur. Romam ex Epiro reversus, Q. Nobiliore, M. filio, rogante cunctoque populo Romano probante, civitate ob favorem, quem suis carminibus sibi comparaverat, donatus est, praediolumque in agro Piceno a Nobiliore muneri accepit. Reliquam aetatem cum bene beateque Romae degisset, graviter molesteque in senio pedibus laborans, annum septuagesimum agens e vita migravit. Eum in Scipionum sepulcro ex veteribus scriptoribus conditum esse Cicero rettulit. Cum tamen nullum ex sepulcro, quod anno millesimo septingentesimo trigesimo post Christum natum inventum est, carmen de Ennio in lucem provenerit, auctoribus ceteris maiorem fidem faciemus, qui Rudias eum in patriam urbem translatum post mortem esse tradunt. Cicerone eodem teste, poetam morientem carmen hoc :

*Aspicite, o cives, senis Enni imaginis formam :
Hic vestrum panxit maxima facta patrum.
Nemo me dacrumis decoret nec funera fletu
Faxit. Cur ? volito vivos per ora virum.*

composuisse sibi novimus, in posteritatem omnem se, quasi vivum, ob carminum famam nominari posse sperans.

XXIV. Strenuam igitur cum litteris ac poeticae operam dedisset, sermonesque tres calleret, Oscum, Graecum, Latinum, quamobrem sibi *tria corda* esse dicebat, plurima carmina scripsit, quae vetustate perierunt, inter quae erant nonnullae fabulae, aliae tragicae, comicae aliae, et liber de bello Punico secundo. Ex Euripide, facta sibi quidlibet immutandi licentia, tragoedias XXII in Latinum transtulit. Potiores Euripidis fabulas quam ceterorum Graecorum scriptorum faciebat, sive quod sententiis illae gravissimis grandibusque verbis abundabant, sive quod spissioribus nodis

Cic. Brut. 18.

Cic. de Senect. 5.

Cic. pro Arch. 9. Liv. XXXVIII ab Urb. cond. 65.

Cic. I. Tusc. 15.

Gell. XVII. Noct. Att. 17.

Fabulae tragicae

multisque personis continebantur, sive praesertim quod ex tristissimis commenticiisque rebus iis conflagabantur, quae animos quam maxime ad pietatem et miserationem movere solent. Nomina ipsa fabularum istarum, quae supersunt, ut « *Andromacha* » « *Medea* » « *Thyestes* » atrocissimis heroum clararumque mulierum casibus poetam in primis delectatum esse indicant. Naevii vestigia secutum, fabulas etiam patrias nonnullas eum composuisse probabile est, in quarum numero erat profecto illa, quae « *Sabinae* » inscribatur. Res enim praeclarissima et ad scaenas quasi nata, poetae materiam eam praebebat, ex qua, ad poetarum Graecorum rationem et morem, qui unam atque eandem rem tribus, ut novimus, fabulis pertractare soliti erant, Naevianam fabulam, quae « *Romulus* » inscribitur, expleret et ad totius exitum rei produceret. Non desunt qui credant ex oppugnatione Ambraciae, cui interfuerat, fabulam tragicam confecisse, quae « *Ambracia* » inscribatur, ut in scaenas patronum suum Nobiliorum agentem induceret. Equidem contra censeo rem epico generi magis idoneam aliquo Annalium loco, cum *maxima patrum facta pangeret*, eum certo celebrasse; in quam me sententiam Cicero trahit, qui in Tusculanarum loco, quem paulo supra memoravimus, dum de carminibus convivialibus accurate agit, Catonem probri redarguentem Nobiliori memorat; quae quidem convivialia carmina, ut constat, non ad scaenicum, sed ad epicum genus spectabant.

In fabulis comicis quoque docendis Ennius versatus est; in quibus sane, cum paratiore proclivioque ad elatiora argumenta canenda mente animoque uteretur, se longe minor evasit. Nomina quoque nonnulla fabularum istarum circumferuntur, ut « *Caupuncula* » hoc est parva mulier, quae esculenta et poculenta vendit, ut « *Pantraiastes* » quod vocabulum Graecum pantratii victorem in certaminibus sonat.

XXV. Carmina quoque, cum rebus, quae in iis continebantur, tum numeris versuum et modis, tum genere ipso non

Quaestiun-
cula de
Ambracia

Fabulae co-
micae

a fabulis modo prorsus diversa, sed inter se quoque multum distantia facili vena primus composuit; quae carmina, propter similitudinem suam cum illa lance, variis frugum, pomorum, vel similium generibus referta et, ut ita dicam, satura, quae in exstruendis deorum lectisterniis comparabatur, ab rerum abundantia tunc primum «*Saturae*» appellata sunt; quippe poeta, cum carmina ex rebus valde diversis conficeret, mensas quasdam exquisitissimis et variis sapientiae cibus refertas apparari sibi visus est. Istarum satirarum partibus singulis singula nomina, vel a scriptore ipso, vel ab iis, qui postea eas notis illustrarunt, data sunt. Prima «*Praecepta*» appellata est, secunda «*Heduphagetica*» tertia «*Epicharmus*» alia «*Euhemerus*» alia «*Sota*» alia «*Epigrammata*» ceterae aliis nominibus pro rerum diversitate suarum. Ex notitiis, quae in auctoribus inveniuntur, has satiras multum etiam tunc, non poetarum modo ornamentis, quibus abundabant, sed novitate rerum praesertim placuisse Romanis inferimus. Primus enim Romanorum Ennius, Epicharmi doctrinas secutus, deos deasque, qui summa religione colebantur, nihil aliud esse docuit, quam res illas, quae in natura fiunt, quaeque vocabulo Graeco «*φαινόμενα*» appellantur. Videlicet homines, terrore quodam, vel aliqua mentis concitatione permoti, cum in speciem et formam hominum res illas conversas cogitavissent, deos omnes et heroes, illarum imaginum instar, quas in somniis videmus, sibi effinxerunt. Ex his igitur doctrinis poema confecit, quod Epicharmus inscribatur.

XXVI. In altero, cui nomen Euhemerus, de hominibus agebat illis, qui cum reapse in terris cum ceteris hominibus versati essent, propter virtutem suam et res gestas, diis post mortem in caelis immixti ab iisque cum naturam tum etiam nomina mutuati, tempore sempiterno fruuntur. De huius poematis origine haec apud Ciceronem invenio: «*Euhemerum noster et interpretatus et secutus est praeter ceteros Ennius*». Euhemerus autem, ut ex titulis inscriptis, qui in

*Saturae**Epicharmus**Euhemerus*

templis, ut constat, habebantur, in primisque Panchaiae Indiae, historiam deorum composuerat ita tamen ut eorum nomina, qui dii putabantur, ad veteres reges, imperatores, narchos referret; quapropter « θεός » appellatus est a sapientibus illis, qui multis annis post eum veram Christi doctrinam secuti sunt.

*Cic. I. de
Nat. Deor. 42;
Varr. I. de
Re rust. 48.*

In versibus autem, qui Heduphagetica inscribebantur, de re coquinaria, ut nomen idem Graecum sonat, ea mente forsitan agebat, ut multis salibus acetoque voraces homines rideret. In Epigrammatis denique, in Praeceptis, in Sotadeis carminibus de omnium hominum moribus atque vitiis acriter sententiam ferebat. Alternis versibus longiusculis ad proceritatis et brevitatis mensuram, quam Graeci adhibebant, in carminibus his condendis primus, ut videtur, usus est, eumque ceteri poetae cum aequales, tum qui post eum fuere, in alio carminum genere secuti sunt.

XXVII. Grandis natu iam pulcherrimum egregiumque patrium poema composuit, quod « *Annales* » inscripsit. Res gestas Romanorum omnes ab incunabulis Urbis deinceps ad memoriam suam versibus hexametris prosecutus est, quos Q. Vargunteius, ut refert Svetonius, cum in libros duodeviginti distribuisset, certis diebus in magna hominum frequentia pronuntiabat. Poema hoc, quod interdum ab eruditis et grammaticis, qui postea fuerunt « *Romais* » nuncupatum est, et grande fuisse atque grave, artisque et litterarum ad id tempus condicionibus inspectis, plenum, non ex rerum scriptorum mentionibus modo colligimus, sed ex reliquiis quae exstant, facile ipsi videmus. Supersunt enim, passim in eruditorum hominum libris relati, versus ad sexcentos nonaginta fere, qui omnibus orationis luminibus, sive illis, quae in singulis verbis et a ceteris paene seiunctis elucent, sive illis, quae ex nova plurium verborum compositione nascuntur, rem mirum in modum distinguunt atque vividioribus quasi pictorum coloribus illustrent. Plurima enim in Annalium versibus verba reperiuntur,

*Annales seu
Romais*

vel a poeta primum inventa, vel novata, vel ficta, vel iterum excusa, ut *altitonans*, quod de Iove dicit, ut *suaviloquens*, *laetificum*, quae sive ad oratorem sive ad gaudium refert, ut *saxifragae*, *velivolae*, *dulciferae*, quae exornandi causa cum nominibus undis, navibus, ficis coniungit. Nec desunt vocabula ad similia ex similibus significanda traiecta, quae rem augeant minuantve; nec item declarantia atque redundantia, quibus oratio et incitatius volvatur aut cadat, et astrictior rebus inserviat; nec denique orationis ornatus desunt, qui in delectu et compositione verborum consistunt.

Etiam versuum condendorum rationem, inconditis rudibusque saturniis numeris relictis, quibus et a Naevio bellum Punicum, et a multis aliis plura ad id tempus scripta fuerant, peropportune ita immutavit, ut ad Graecorum poetarum artem quam maxime se conformaret. De hac re apud posteros quadam sui ipsius delectatione gloriari voluit. In aliquo enim Annalium loco versus satius lacunosos habet, quos Iohannes Pascolius coniectura ita sarcivit :

Scriptere alii rem

*Vorsubus, quos olim Faunei vatesque canebant,
Cum neque Musarum [auxilio] scopulos [superarat]
[Quisquam] nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc.*

Versus autem, quos sex pedibus alternis confecerat, partim dactylis partim spondeis, Cicerone teste, longos appellavit, qui ex mensurarum numero hexametri nuncupantur.

XXVIII. Confer itaque Annalium hexametros, qui supersunt, cum inconditis rudibusque versibus illis saturniis, quos ceteri ad id tempus poetae adhibere in carminibus solebant; confer, si placet, cum divinis illis Aeneidis numeris, qui suavitate in primis aures delectant: Ennium videbis primum non solum verbis fere solutis numeros ex vocum omnium mentione ad poetarum Graecorum usum adiunxisse,

sed etiam sermonem Latinum asperum et horridum ad lenitatem quandam et suavitatem inflexisse eumque ita amplum, ita concinnum, ita ad versus heroici mensuram aptum, ut ad perfectionem eam, eius opera, accessisse dici possit, quam in Virgilio praesertim admiramur. Hunc Ennii versum :

Cum superum lumen nox intempesta teneret

cum Virgiliano illo compone :

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat

atque etiam alium illius :

It eques, et plausu cava concutit ungula terram

in quo resultans equi currentis sonus recinit cum Virgilio celebratissimo :

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Alios atque alios multos utriusque versus inter se compara, ut similitudines illas deprehendas, quarum causa traditum est Virgilium, cum aliquando Ennium in manu haberet, rogatum quidnam faceret, respondisse, se aurum colligere de stercore Ennii. Stercus autem vocabat faecem illam versuum, quam, traiecta a metallis ad grammaticorum figuras vocabuli significatione, Graeci « σκωρπλαν » dicebant. Neque autem iniuria ita respondit. Nonnulli enim Ennii versus minime revera probantur, vel quod nimia molestissimaque litterarum adnotatione peccant, ut ille, qui in specimen vitii circumfertur :

O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne tulisti

cuiusque artificium profecto nemo est qui non videat; vel quod insolenter verborum divisione illa abutuntur, quae Graece « τμήσις » vocatur, ut in exemplo « saxo cere comminuit brum » quod saepe etiam memoratur.

XXIX. Nihilominus Ennius maximis laudibus cumlatus est etiam ab illis scriptoribus, qui multis annis post eum fuerunt. Cicero eum summum poetam epicum dicere non dubitavit, eiusque versum :

Moribus antiquis res stat Romana virisque

Cic. II. de Leg. 35. vel brevitate vel veritate tamquam ex oraculo quodam effatum esse iudicavit. Item in carmine suo Lucretius Ennium primum « *amoeno detulisse ex Helicone perenni fronde coronam per gentis Italas hominum quae clara clueret* » affirmat. Eos tamen ceterosque, qui poetam laudaverunt, Quintilianus admiratione praestat. « *Ennium* » inquit « *sicut sacros vetustate lucos, adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem* ». Quintilianum poeta ipse vicit, qui ut seipsum laudaret, per palingenesiam, quam vocant Pythagorici, Homeri animam in se transmigrasse firmissime credidit.

Lucr. I. de Rer. Nat. 117.

Quint. X. Inst. 1.

CAECILIUS STATIUS

XXX. In comicis poetis, qui Latinis litteris iam adolescentibus fuere, Staius Caecilius recensendus est, qui natione certe Gallus ex Insubribus fuit, Mediolani, ut videtur, ortus. Romam et ipse anno quingentesimo tricesimo tertio post Urbem conditam venit, in bello illo Gallico captus, quod eius anni consules, M. Claudius Marcellus Cn. Cornelius Scipio, qui a tonso capillo Calvus appellatus est, duobus proeliis confecerant. Alter enim, Viridomaro rege, qui auxilia tulerat, ad Clastidium interfecto, lectisque spoliis opimis, exercitus ad interneconem cecidit; alter vero Insubrium copias ad Mediolanum, quod arx erat regni et caput, delevit. A Caecilio quodam, qui eum e captivis emerat, libertate donatus est, cuius

Gell. X. Noct. Att. 20; Hieron Chr. ad ann. 575.

beneficii gratia, ut mos erat servorum, Caecilium nomen ascivit. Deinceps conturbanalis Ennii poetae fuit, qui eum hospitio ad extremam aetatem accepit. Paucos post annos, quam amicus mortuus est, et ipse vita decessit, humatusque in Ianiculo colle.

XXXI. Fabularum comicarum scriptor non obscurus medium inter Plautum et Terentium non aetate tantum atque temporum ordine, sed genere ipso locum occupat. Etenim cum penitus a Plauti imitatione esset profectus, ab eadem sensim sine sensu discedens, ad eam fabularum condendarum artem accessit, quae Terentii propria est. Romanis primo haud multum placuit: postquam vero Plautus mortuus est, cum fabulas suas histrioni cuidam eximio, Turpioni Ambivio nomine, cuius Cicero meminit, in scaenis agendas commisisset, tantum sibi multitudinis favorem conciliavit tantamque laudem, ut Terentianae fabulae, aedilium iussu in theatris agi prohiberentur, nisi eas antea Staius dignas diiudicavisset, quae in publicum prodirent.

*Ter. Hecyr.
prol. 14.*

Cic. de Senect. 14.

Fabularum Staii nomina ad quadraginta circumferuntur, ex grammaticorum notationibus deprompta, in quibus « *Androgynos* » « *Hymnis* » « *Synephebi* » adnumerantur, quas nominibus Graecis inscripsit; tum etiam « *Exul* » « *Portitor* » « *Pugil* » quae Latina sunt. In quibus fabulis conficiendis, ut earum contextus unam omnino actionem contineret responderentque extrema primis, media utrisque, omnia omnibus, a contaminatione, qua ceteri valde delectabantur, se abstinent; cuius rei causa eum Varro eo usque laudavit, ut in argumentis poscere palmam affirmaret.

Fabularum nomina.

XXXII. Nonnulla fabularum fragmenta in grammaticorum libris leguntur, Gellii praesertim, qui versus nonnullos ea mente refert, ut, instituta inter Latinum poetam et Menandrum iudicatione comparativa, dicendi genere et arte hunc valde superiorem illo esse concludat. In fragmento, quod certe ad Synephebos spectat, facetissimo illo dissimulationis genere,

*Gell. II.
Noct. Att. 23;
IV., 10, 13.*

quo Socrates utebatur, Cupidinem, Veneris filium, carpit, qui, qua liberalitate hominibus beneficia atque voluptates largitur, eadem maleficiis ista et doloribus pensare gaudeat. In alio vero de agricola haec pulcherrime notat :

Serit arbores quae alteri saeculo prosint

cuius sententia eadem est ac in illo lenissimo Virgilii versu :

Insere, Daphni, piros : carpent tua poma nepotes

qui in nona ecloga legitur. Ex Menandro multa in Latinum convertit, in quibus praecepta de bene beateque vivendi ratione traduntur, ut illud :

Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα

quod ita ad verbum eleganterque reddidit :

Vivas ut possis, quando nequis ut velis

atque etiam aliud sapientiae atque doloris plenum :

Μικρόν τι τοῦ βίου καὶ στενὸν ζῶμεν χρόνον

ex quo ipse minus bene detracta interpretatione, quae inest in Menandri versu:

Exigua pars est vitae, quam nos vivimus.

Ex omnibus fabulis plurimum illam Gellius fecisse videtur, quae « Πλόκιον » id est parva coma, vel potius armilla, inscribatur ; nam Graecum vocabulum unum alterumque indicat. In versibus, qui ab eo alligantur, fabulae contextus